

tium communis omnium populorum fons est, unde hauriunt singuli, quod ad suae civitatis mores accommodate, quamvis id non uno omnes modo faciunt. Acque huc pertinet quod Cajus scribit in l. *omnes populi* 9. *hoc tit. Omnes populos partim communi omnium hominum jure uti, partim proprio.*

4. Notam Justiniano Rod. Agricola lib. 2. de invent. dial. quod dumtaxat jus privatum ex triplici illo jure collectum dicat, quasi hoc ipso negaret jus publicum ex iisdem præceptis collectum esse. Sed hoc minime sequitur. Nam satis Justiniano visum est causam & originem indicare ejus juris de quo dicitur erat nimirum privati, insuper habito an ex iisdem præceptis etiam originem traheret jus publicum. Sed nec recte dixerit naturam sive jus naturale, ut id in specie accipitur Justinian. & Ulpianus pro jure cum brutis communi, causam esse juris publici; quod & Biro recte observavit. Nec tamen assentiendum Mysingero qui cum Alciato 1. *parens*. 31. contendit jus publicum tantum esse ex præceptis civilibus. Nam præterquam quod manifestum est religionem erga Deum l. 2. *hoc tit. & imperia Magistratum*, per ea quæ Aristot. 1. *polit.* 2. esse ex jure gentium: constat ipsos Romanos sacra ceremoniasque suas acque omnia fere quæ ad Magistratus aliaque jura publica pertinent à legibus Italiae populis ac præsertim Hetruriae accepisse. De communi noticia Deo locus est omni exceptione major apud Paulum ad Rom. c. 1. Sunt & apud Cic. 1. *Tusc.* c. 16. & 2. de nat. deor. c. 2. & 15.

5. *Ex naturalibus præceptis aut gentium, aut civilibus*: De numero generum juris dissensit Veteres viderit possunt. Nam Ulpianus in l. 1. §. 2. *hoc tit.* quem hic sequitur Justinianus, tria genera ponit naturale, gentium, & civile; Cajus in l. *omnes populi* 9. eod. duo tantum commune, & proprium. Neque Philosophi plura genera agnoscunt quam naturale & positivum. Sed tantum in tractandi modo, non in de sensu est: revera enim duo tantum

sunt summa juris genera naturale, & civile, seu positivum; sed in hac bimembri divisione primum genus duas priores species tripartite illius complectitur, in quas etiam deinde subdividi potest. Ulpianus enim brevitatis causa species unius generis cum altero genere unica divisione complexus est; quod et familiare esse divisione communi generis proprium.

6. Observandum autem est, non omnes qui jus dividant in naturale & positivum hæc species eodem sensu opponere. Nam sunt qui appellatione juris naturalis intelligunt quidem, tum jus quod hominibus cum brutis commune est, tum etiam jus gentium quod primæ vulgo appellant; sed jus gentium secundarium speciem ficiunt juris positivi, sicut & civile; idque rationi magis consentaneum putant Wesemb. par. *hoc tit. num. 15.* Greg. Lopez animadv. c. 3. Alii vero appellatione juris naturalis positivo oppositi complectuntur jus omne quod non est à potestate civili, nec tantum jus gentium primum sed etiam secundarium: quod & Veteres interdum faciunt, ut videre est in l. 1. de acq. rer. dom. §. *singularum*, infra de rer. div. Sed sæpius tamen & hi jus naturale ex adverso juris gentium secundario opponunt: ut in §. 2. *tit. proxime seq. inf. de libertin.* in pr. l. 4. *hoc tit.*

7. In divisione proposita etiam primario opponitur: quæ tamen oppositio vix ullum usum habet ut demonstrabitur tit. seq. Optima divisio erit si dicamus: Jus quoddam esse commune omnium gentium, aliud esse proprium cujusque civitatis. Quod commune est omnium gentium, partim nobis commune esse cum bestiis, partim proprium generis humani. Proprium generis humani, partim homini innatum, partim communi hominum consensu introductum.

TITULUS II.

DE JURE NATURALI, GENTIUM, ET CIVILI.

Summa eorum, quæ hic explicantur.

Hoc titulo species juris privati, in quas supra §. ult. præc. tit. divisum est, Imperator singulatim persequitur & explicat. Quo peractio juris civilis Romano-

rum, quod solum suscepit, tractationem aggeritur. Ac prin. un illud dividit ex adjuncto in scriptum & non scriptum: scriptum deinde subdividit in suas species quas ordinat.

dine item explicat. Postea jus civile à naturali distinguit, ratione diversi effectus. Ad extremum viam sternit ad rectam perceptionem juris constituit, proposita discretionem materiæ circa quam jus omne quo utimur versatur.

TEXTUS.

De jure naturali.

Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium que in celo que in terra que in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque femine conjunctio quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim cetera quoque animalia istius juris peritia ceneri.

L. 2. Tit. 1. Part. 1.

COMMENTARIUS.

1. *Animalia bruta proprie juris capacia non esse, & num. 4.*
2. *Parentes alere quo jure liberi teneantur.*
3. *Defensionem adversus vim illatam esse juris nature, & quatenus ea permissa Remissive.*

ANIMALIA bruta tam certum est esse juris expertia, quam certum est esse æliya, sive expertia rationis. Nam inter quos jus est, inter eos & ratio, & æquum & bonum, & justitia, & lex, & societas sit necesse est. Arist. 4. *Eth.* 10. In equis, in leonibus justitiam non dicimus, inquit Cicero lib. 1. de offic. Plutarchus in Catone Majore ait: *Νομοι και δικαιωσεις ουδωτων μειον χρησιν περιφρασκουσι*, (natura inest nobis lege ac jure solum erga hominum uti) & alias etiam beatiudo caderet in bruta. Bene igitur D. Grot. 1. de jur. bell. & pac. c. 1. num. 11. *Proprie juris capax non est nisi natura præceptis utens generalibus.* Neque quisquam Philosophorum, quod sciam, aut Jurisconsultorum jus aliquod in bruta cadere tradidit præter unum Ulpianum ex cujus Institutionibus hæc descripsit Tribonianus, ut apparet ex l. 1. §. 3. de just. & jur. Quomodo ergo Ulpianum cum ceteris conciliamus? Simplissima eorum sententia est qui per quamdam auxesin & figurate hæc à Jurisconsulto dici scribunt, proprietate quod quæ hujus juris esse dicitur ea etiam bruta faciunt, idque cum similitudine quadam sensus ac desiderii humani. Unde Aristoteles lib. 9. de hist. animal. c. 7. tales brutorum actus appellat *μυμιματα των ανθρωπινων*

GENE, ET CIVILI. 13
ζωνε, vite humane imitamenta. Cicero 2. de finibus, virtutum simulacra. Nam ut in brutis apparent simulacra quædam rationis, ita etiam juris ut idem Cicero restatur, & plurius ostendit Plutarchus in libello, *περι της ζωης φρονιμωτικης* (iura viventium sapientiora) Platonis quoque doctrina est naturam rem unquamque perfectissimam facere voluisse, ac proinde in plantis sensus in brutis rationis in hominibus divinæ mentis vestigia expressisse. Neque aliud sensu videri debet Plutarchus in libello cui titulus est, *τα δαιμονια λογικωιδου* (irrationalia ratione uti quod alioqui non caret contradictione. Eadem effectus est aliorum responso qui ajunt jus naturale formaliter, id est quoad rationem, non nisi in hominem cadere; materialiter autem, hoc est quoad appetitum & instinctum naturæ etiam in bruta: nempe, ut hoc explicant Covarr. In c. peccatum, de reg. jur. in 6. par. 2. rel. §. 1. num. 4. & Ant. Fab. *Jurispr. Papin.* tit. 2. pr. 1. jus naturale dici, quod circa ea versatur que bruta solo instinctu & impetu nature faciunt, homines vero etiam cum ratione. Nam cum homo hæc facit rationem in consilium adhibet, quam veluti ducem lucemque sequitur; cum bestia in iisdem agendis sola vi nature & cæco impetu sine judicio ac ratione ducatur. Ad quem etiam modum disputat doctissimus Salmas. lib. de usur. cap. 9. coque pertinet quod scribit Seneca lib. 2. de ira, c. 16. *animalibus pro ratione impetum, hominibus pro impetu rationem esse.* VINN. Solum Ulpianum jus naturæ homini cum reliquis animalibus commune fingere putat Vinnius. Sed perperam. Fuit ea communis fere veterum Philosophorum doctrina. Jus naturæ exigere dicebant ut secundum naturam vivamus. Natura est vel communis, vel homini propria. Ex illa jus naturale, ex hac jus Gentium derivabatur. Præclare eam in rem ex mente Stoicorum dis erit Cicero de finib. l. 4. c. 9. Eleganter quoque Euripides:

*Communis hæc lex stirpis est mortalium
 Traben & ipsos in sui assensum Deos
 Ferasque, amare quidquid est ex se natum.*
 Τα δ' εμα χαρις χωριμωσ' ενωιδωσ νομειν
 In rebus aliis jure (invicem) non utimur. HEIN.

Maris & femine conjunctio Huc pertinet quod in Lælio scribit Tullius: Hæc apparet, inquit, in bestis, volucris, & agrestibus, natantibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsa diligant; [id enim pariter cum omni animante nascitur] deinde ut requirant atque appetant ad quas se applicant ejusdem generis animales: idque

quæ faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani.

Procreatio, educatio] Quammodum communis est animantium conjunctionis appetitus, ita cura quoque eorum, qua procreata sunt, alicuius Tullius 1. de offic. cap. 5. Justinianus in l. un. §. tacetas C. de rei ux. aff. Ipe, inquit, naturalis stimulus, id est, & propter, parentes ad liberos suorum educationem hortatur. Et alibi: Filium vel fratrem alere patri necesse est propter ipsam naturam l. ult. §. ipsum C. de bon. que lib. Et vero hac inter se congruere non possunt, ut procreari quidem natura vellet, diligere autem procreata non curaret, ut scribit Cic. 3. de finib. cap. 19.

2 Refertur huc quidam & alituram parentum, sed male. Debentur quidem & parentibus alimenta, quod etiam proditum est vulgari proverbio πατράδωρος; & gratiam referre] sed parentum alimonia non ex eo iure est de quo hic agitur, quod natura cetera quoque animalia docuit, inter que genus gignendi alimenta non prebet. Verum ex alia natura lege que humani generis propria est, & in proposita partitione jus gentium dicitur. Nimirum ut causa gignens erga gentium afficiatur, ex communi natura instinctu esse, ut gentium erga gignentem, & naturali ratione que pietatem & gratitudinem commendat. l. 2. de just. & jur. i. nam §. 15. de inoff. test. l. 7. §. 1. unde liberi. Ita cape locum Ciceronis in orat. de resp. arisp. cap. 27. ubi ait: Parentibus nos primum naturam conciliare, quos non atre nefarium sit, & Valerii qui lib. 5. c. 4. scribit primam nature legem esse diligere parentes. Quod autem de cœnta narratur id ut singulare negligendum est. De questione quatenus parentes liberos, aut hi vicissim illos alere teneantur; & porro an frater fratrem, que hinc aliena, consulantur Schneid. dic. mon. 10. & seqq. D. Tulden. Perez. ad tit. C. de alend. liber. Christian. Vol. 3. dec. 148. add. D. Grot. 2. de jur. bell. & pat. c. 7. num. 4. & seqq. Pet. Fab. 2. sem. 1.

3 Nullius autem rei studium altius insitum est à natura omnibus anim. libus quam studium tuendi sui adversus vim illatam. Hoc enim omni generi animantium à natura ante omnia tributum esse scribit M. Tullius 1. de offic. cap. 4. ut de vitam, corpusque teneatur, declinet que ea que nociva esse videantur. Unde liquet fruentium auctoris l. 3. de just. & jur. tenere à Tribonianis subiectum esse legi 2. eod. confusaque exempla juris naturalis & gen-

tium, contra quam propositum erat. Quamquam quidam in defensione duo extrema spectanda ajunt, tuitionem & propulationem injuria, quarum illam ad jus naturæ, & hanc ad jus gentium referunt. Credo ego Florentinum jus omne finibus humani generis circumscriptisse. Quatenus & quibus conditionibus personarum vel rebus nostris illam propulationem permittam sit, ex recepta DD. sententia tradit Schneid. hic num. 12. & seqq. Gail 2. obs. 210. num. 15. & seqq. D. Tulden. ad tit. obs. 210. num. 15. & seqq. D. Tulden. ad tit. C. ad leg. Corn. de sicar. num. 5. Summa huc redit, ut ne vim propulando ulcisci magis quam tueri nos studeamus; deinde ut ne excidamus moderationem inculpate tutele. Tunc autem non excessisse intelligitur, cum aliter periculum evitare non potuimus l. scientiam 45. §. pen. ad leg. Ag. l. 1. C. unde vi. D. Grot. lib. 2. de jur. bell. cap. 1. ubi num. 3. recte docet jus defensionis per se ac primario nasci ex eo, quod natura quemque sibi commendat, non ex injustitia aut peccato alterius unde periculum est; & ideo si corpus vi impetatur cum presente periculo vite non aliter evitabili, licitum esse inferentem periculum interficere, etiamsi ille peccato careat, puta si insaniam aut insomniam agitur, ut evenisse quibusdam legitimus. Neque enim eo tolli jus se tuendi, cum sufficiat quod ego non teneor id quod ille intendit pati, non magis quam si bestia aliena periculum intenteret. Sed hæc & similia fortassis alibi latius.

4 Illud repero quod superius dixi, si quando brutis animantium justitia tribuitur, id fieri improprie ex quadam in ipsis umbra rationis atque vestigio, ac propterea pletosque disputationem juris naturalis finibus humani generis circumscribere. Vid. Pet. Fab. 2. sem. 1. Salinas. de usur. cap. 2. Joan. Selden. lib. 1. de jur. nat. & gent. juxta discipl. Hebræor. c. 4. & 5. ubi etiam Hebræos laudat, qui & ipsi non ex jure aliquo, (quod totum versari volunt circa licitum atque illicitum) sed è propensione atque inclinatione tantum ajunt animantium ceterorum actus evenire. Sane discrimen quod Ulpianus facit inter jus quod animantium ceteris cum homine commune est, quod arctius significatim appellat naturale, & illud quod hominum proprium est, quod sæpe jus gentium nuncupatur, vix ullum usum habet. Quonian utum actus ipse, de quo jus naturæ constituit, sit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio; an nobis proprius, ut cultus Dei, ad juris ipsam naturam nihil refert, §. pen. inf. eod.

TEXTUS. Distinctio juris gentium & civilis à definitione & etymologia.

1. Jus autem civile à jure gentium distinguitur, quod omnes populi qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes persequè custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utitur. Quæ singula qualia sint, suis locis proponemus.

L. 2. Tit. 1. Part. 1.

COMMENTARIUS.

- 1 Populum alterius imperio subiectum leges condere non posse, & quatenus statuta.
2 Divisio juris civilis in merum & mixtum explicata & illustrata exemplis.
3 Jus gentium quod hic definitur, & ipsum vera naturale esse.
4 Vulgaris distinctio juris gentium in primæum & secundarium defensa & explicata.

Quod quisque populus] Suis scilicet legibus & moribus vivens. Nam si quæ civitas alterius imperio subiecta est, ea non plus juris habet in jure constituendo quam ille cuius imperio subiecta est concessit. l. de iuris de leg. Rbod. Hinc est, quod municipia meliorem hæc in re conditione erant quæ colonie, quia municipiis concessum erat ut suis legibus & moribus uti possent; colonie autem jura habebant omnia populi Rom. non sui arbitrii instituta. Gell. l. 16. c. 13. Ceterum statutorum condendorum quilibet Magistratus in suo territorio jus habere tradunt DD. in l. omnes populi §. hoc tit. unde hic locus descriptus est. Quæ tamen statuta non aliter valent quam si non derogent juri communi, & ut valeant, sciendum tamen est non valere jure legis, sed saluum semper manere jus Superius, ut pro auctoritate sua ea abrogare possit l. 3. §. Divus §. de sepul. viol. VINN. Multi apud Hispanos statutorum condendorum facultate donati sunt. Nam &

Correctoribus & Judicibus de rebus ad suam provinciam spectantibus statuta condendi jus est l. 14. tit. 6. Lib. 3. Recop. & Populo, sive Concilio quod vicem Populi obliner l. 8. Stit. Juris tamen auctoritate non censetur, nisi confirmatio à Rege, Regiove Consilio imperata sit, quod ex diff. Leg. 8. Stit. l. 8. tit. 7. Lib. 7. & L. 14. Tit. 6. Lib. 3. Recop. probat Joannes Garcia in lib. de Hispanorum nobilitates §. 12. Inscrptionis. ADDIT.

Vocaturque jus civile] In specie nimirum. Nam jus civile sumtum pro eo jure quo in universum civitas utitur, etiam jus naturale & gentium, quatenus receptum est, comprehendit eoque sensu obligationes quæ ex contractibus juris gentium descendunt dicuntur civiles, licet à legislatore civili nihil habeat præter probationem. §. 1. inf. de oblig. Hoc igitur jus dicitur civile à causa efficiente, que est voluntas alicujus civitatis, aut ejus qui jus legis ferenda in ea habet, non communis gentium aut naturalis ratio. Ab Aristotele legitimum dicitur, vulgo positum.

2 Potest vero hoc jus amplius doctrinæ gratia sic distinguere, ut aliud dicatur merum & simpliciter civile, quo pertinent leges omnes, que ideo tantum justæ sunt & obligant quæ à diviti potestate sancitæ; cujusmodi sunt jura ditionum, usucapionum, donationum inter conjuges; & Senatusconsulta Macedonum et Vellejanum, Trebellianum; leges Julia Sentia, Junia Norbana, Fusia Caninia, Voconia, Furia, Falcidia, & in multis capitibus lex duodecim tabularum; aliud vero quod mixtum rectè dixerit, cum scilicet juri communi lex civilis aliquid addit aut detrahât, ut quod illo jure indeterminatum est determinat. Quo sensu matrimonium, patria potestas, tutela, testamenta, successiones, adiones, & id genus alia jura civilia esse dicuntur; nempe quia certa & propria quadam forma à jure civili dorata sunt, atque ita determinata ut certus eorum usus sis, atque inter cives tantum, & exclusis ab eorum communione extraneis & peregrinis. Aquæ de hoc jure civili mixto accipiendum est quod scribit Ulpianus. l. 6. de just. & jur. Cum additur aliquid aut detrahatur juri communi, jus civile efficii; alioquin omnia fere que constituta sunt juri mere civilis & positivi dicenda forent. Illud in universum verum est, & juri civilis non tamen meriti quod directè pugnat cum ratione juris naturæ diff. l. 6. in pr.

Naturalis ratio] Ait Imperator jus gentium esse quod naturalis ratio inter omnes homines

consistit. Unde sequitur jus hoc non ex legis aut instituti populorum estimandum esse, sed ex eo quod justum esse dicitur ipsa ratio naturalis, id est insita animis hominum notitia de honesto & turpi, justo & injusto.

3. Quam ob causam & ipsum quoque jus nature passim appellatur, & æquum & bonum, & naturalis æquitas, & natura. Id quod notandum est adversus eos, qui negant quicquam naturæ justum esse, sed tantum lege & consuetudine, contra quos disputat Cic. 1. de legib. cap. 16. & Arist. 5. Eth. 7. add. Platon. 1. de legib. Laerc. in Pyrrh. & Arist. Exempla gratiæ, dicitur naturalis ratio delicta, puta furca, adulteria naturæ turpia esse & puniendâ 1. probum 42. de verb. sign. 1. 1. §. 3. de furt. Reperit tamen sunt apud quos hæc flagitia permissa atque impunita fuerunt. Vide Gell. lib. 11. c. 18. Arnob. adv. gent. lib. 8. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24. Albert. Genil. 5. de nupt. cap. 7. Jus gentium incestum committit, teste Paulo in l. ult. de rit. nupt. qui ex gradu ascendendum aut descendendum uxorem ducit, quod etiam saniores omnes Philosophi agnoscunt; nihilominus, ut Ovidius lib. 10. Metam. v. 332.

... Gentes tamen esse feruntur,

In quibus & nato gentis & nata parenti Jungitur.

Harum inquam gentium barbari mores & pravum judicium efficere non possunt, ut id quod naturæ justum aut injustum, turpe aut honestum esse tale esse desinat: quomodo & Socrates disputat apud Xenoph. lib. 4. memorab.

Omnes Gentes] Aut certe moratores. Nam naturale recte dicitur, interprete Michaeli Epheso ad Nicomachia, quod apud plerisque non corruptus ut pravos, sed nature convenienter se habentes obinet. Et Arist. 1. polit. §. quid naturale sit spectandum ait in his qui bene secundum naturam se habent, non in depravatis. Belle Salmas. de usur. pag. 243. & seqq. Videtur autem Imperator hic tantum definire voluisse speciem juris gentium excellentiorem, nempe jus gentium primævum, ut id DD. appellant. Neque enim hæc definitio æque accommodari potest juri gentium secundario, quod in §. seq. vers. nam usu ita describitur, ut respectu juris primæ vi quodammodo positivum dici possit: quamquam cum efferat secundarium naturali ratione & insiditiosus (ex suppositione) nitatur, neque id aperte constitutum aut sanctione aliqua introductum sit, sed tacta tantum communi tamen consensione gentium receptum, naturale quodammodo est, & a po-

sitivo secerni potest. Atque hoc etiam puto sentire Aristotelem d. 1. 1. c. 4. ubi ait esse quoddam jus gentium καὶ ἐπιφυλάγιον. (ex consensione)

4. Ut autem paucis explicem, qua ratione Doctorum illa juris gentium distinctio in primævum & secundarium nitatur, quod hic locus quodammodo flagitat: nata est a distinctio ex duplici consideratione rationis, seu potius intellectus judicantis. Ut enim ratio, sicut Physici docent, vel simplex est & pura quæ sine discursu judicat, & Græcis τὴν σive νῦν dicitur: vel composita & comparata quæ per discursum minus suum exequitur ex collatione diversarum rerum aliquid colligens, & Græcis διάνοια & ἀναλογία: ita & duplex est jus Gentium, unum quod à simplici illa ratione fluit, seu intellectu, τὴν αὐτῆς; cujus juris sunt cultus Dei reverentia parentum, neminem ledere, suum cuique tribuere, & alieno matris abstinere, aliaque ejusmodi principia prædicta quibus ulque sine argumentatione aut demonstratione astro sentitur, & justa esse sine agitatione mentis intelligimus; alterum quod à composita, seu intellectu διάνοια, quod discursum & rationationem habet, atque ex causa demum aliqua aut hypothesi & comparatione alterius rei justum esse intelligitur; cujus generis sunt ea omnia quæ ad vitæ communis commoda, coniungendæque inter se Respublicas & gentes à viris sapientibus excogitata in usum omnium gentium aut plerarumque pervenerunt. Exempla habemus in §. seq. vers. nam usu, & elegans in l. 1. ff. de contr. empt. Quod jus à simplici illo intellectu est, primævum DD. appellantur; quod à composito, secundarium: primum immutabile, secundum mutabile.

TEXTUS.

Ab appellatione & effectibus.

2. Sed jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Atheniense. Nam si quis velit Solonis vel Draconis leges appellare jus civile Atheniense, non erraverit. Sic enim & jus quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus, vel jus Quiritium quo Quiritæ utuntur. Romani enim à Remulo, Quiritæ à Quirino appellantur. Sed quoties non addimus nomen ejus sui civitatis, nostrum jus significamus; sicuti cum Pestam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Jus autem gentium omni humano generi commune est. Nam usu exigente &

bu.

humanis necessitatibus gentes humane jura quædam sibi constituerunt. Bella etiam orta sunt, & captivitates secuta, & servitutes quæ sunt naturalis juris contraria. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc jure gentium omnes pene contractus introducti sunt, ut emptio & venditio, locatio & conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles.

COMMENTARIUS.

1. Jus Romanum quasi gentium quoddam jus apud omnes colit.
2. Confirmatio distinctionis juris gentium in primævum & secundarium.
3. Etiam inter ea quæ juris secundarii, distinctione opus videri.
4. Bella & belli effecta quo ad spectu juri naturali contraria.

EX unaquaque civitate] Jus civile non retinet unum idemque nomen, sed à nomine ejus civitatis appellatur quæ id constituit; ut in hoc quoque discrepet à jure gentium.

Solonis vel Draconis] Prior Draco leges Atheniensibus dedit, in quibus Aristot. 2. Pol. 20 scribit nihil memorabile præter poenarum acerbitate mentis. Poena namque capitis fraudes prope omnes multabat. Unde Demadis illud laudatur: ἔπιδι δῖματος, & διὰ μίαντος τῆς ψυχῆς ἡ δόξα ἐπὶ τῆς ψυχῆς. Quod Draco leges non atrimento, sed sanguine scripserit. Plut. in Solone. Solon deinde magna earum parte abrogata alias descripsit, quibus Athenienses felicissime sunt usi. Vid. Aul. Gell. lib. 11. cap. 18. VINN. Ante Draconem Atheniensibus leges scripsit Tripolemus, de quibus Porphy. 4. de abst. ab anim. p. 431. Postea circa Olympiad. 39. Draco, & Olymp. 46. anno 3. Solon leges tulit, de quibus Pandolph. Praetorius, Jo. Meusius, Des. Heraldus. HEIN.

A Quirino Quiritis] Plerique tradunt pace facta inter Sabinos & Romanos, placuisse ut Romani etiam Quiritæ à Curibus, Tatii Sabinorum Regis patriæ vocarentur. Vari. 4. de ling. Dionys. Halicarn. lib. 2. Plutarch. in Romul. In alius est; Romani enim à Quirino Quiritis appellantur, Horom. Cujac. Wesemb. Cur Romulus dicitur sui Quirinus triplicem causam afferit Ovid. 2. Pastor.

1. Nostrum jus] κατ' ἐξουσίαν (per excellentiam.) De Romani juris excellentia disserit M. Tullius in persona Crassi lib. 1. de orat. cap. 43. seq. Hodie jus civile Romanorum quasi gentium quoddam jus commune apud totam fe-

re Europam observatur, utique in quibus causis propriæ leges aut consuetudines deficiunt. Sed & ad hujus juris normam dirigitur interpretatio quarumcumque constitutionum ac consuetudinum quæ illi manifeste non repugnant; ac tamen repugnant, tamen in ambigua facti specie ejusdem æquitate mitigantur, & ita cõterentur, ut commune hoc jus quam minimum lædant.

2. Usu exigente] Hic locus confirmat receptam juris gentium distinctionem in primarium & secundarium, quamquam vitio non caret quod Tribonianus non apertius distinctionem proponit. Primum enim non est ab omnibus excogitatum aut introductum est sed nobis ingenium, quemadmodum & notitiæ illæ simplices unde illud promanant mentibus nostris divinitus insitæ & in cordibus nostris insculptæ sunt, etiam Apostolo teste cap. 2. ad Roman. Secundarium autem, (quod Grotio 1. de jur. bell. cap. 2. num. 4. est voluntarium) ab omnibus inventum est, & mentis quadam agitatione, comparatis inter se aliis atque aliis rebus, excogitatum ad communem vitæ usum retinendamque gentium inter se societatem; ut hujus juris ex parte causa sit usus & indignitas, teste Aristot. 1. polit. Quamobrem recte Div. Chrysostomus oration. 76. hoc jus ait esse ἐπιφυλάγιον, inventum temporis & usus; & hinc Dionis Prusænsi ἀναγκαστικὴ νόμος (lex necessitate sancita) appellatur, multumque ad probationem hujus juris utitur auctoritate illustrium Historicorum. Hoc igitur jus non tam rationis luce exortum quam rationationis ductum collectum est, & usu exigente accommodatum non tam naturæ leges bonitatis quam corruptæ necessitatibus; conjugatque Respub. & gentes inter se, quarum tacito quasi fœdere & conspiratione censetur. VINN. Rectius omnia coherens, si dicatur jus naturæ esse jus divinum per rectam rationem promulgatum. Ab eo tunc non differt jus gentium, nisi applicatione. Eadem enim rectæ rationis dictamina prout vel negotii hominum, vel integrarum gentium applicatur, modo jus naturæ modo jus gentium appellantur. Quemadmodum vero jus naturæ vel absolutum est vel hyperbeticum: ita & gentium negotiis applicatum, absolutum à Doctoribus primarium; hypotheticum secundarium dicitur. HEIN.

Gentes humane] Non quod legis sancientiæ causa gentes omnes in unum convenerint, sed quia illud jus propter communem utilitatem tacito consensu gentium approbatum & ab omnibus receptum est.

C

Bel-

3 *Bella orta sunt*] Eriam inter ea que sunt juris gentium secundarii aliqua distinctio facienda videtur. Nam initio simul atque societates humanæ constitute sunt, simul necesse fuit domania distinguere, jura commerciorum introducere; bella autem postea orta sunt, utpote que malicia hominum & habendi libidino introduxit, & consequenter etiam bellorum jura. Sicte Portius §. præc. num. 3. *Bella*, inquit, *sunt ex jure gentium non dispositivæ, sed occasionaliter, distinctivæ dominiis.*

4 *Juri naturali contrariæ*] *Bella* & hinc secute captivitates & servitutes, si per se spectentur à ratione naturali prorsus aliena sunt; neque enim, quod utilitas omnium gentium exigit, societatem humanam bella tuerentur sed oppugnant atque everunt. Ex hypothesi tamen & hæc rationem naturalem habent. Etenim si vim & injuriam nobis aut sociis nostris illaram vi & armis defendamus aut etiam vindicemus, captos hostes etiam in servitutem nostram redigamus, ut metu talis poenæ improbi ab injuria in posterum abstant: nemo opinor est qui negabit hoc summa cum ratione fieri; de quo iterum & latius titul. seq.

Omnis pene contractus] *T* pene additum dicitur *Philosophorum gratia* & est temperamentum Jurisconsultis familiare, qui passim hujusmodi particulari adjectione sibi cavere solent, quando quid generaliter enuntiant aut definiunt; propterea quod in jure generalis definitio plerumque periculosa est, s. *omnis definitio* 202. de reg. jur. quod & Justinianus hic facit, respiciens haud dubie ad l. 5. de just. & jur. ubi Hermogenianus scribit quosdam contractus à jure civili introducos esse, quinam autem isti sine non defuit. Vulgo quidem putant esse hos quatuor stipulationem, obligationem litterarum, contractum emphiteuticum, & sponsalium largitatem; sed quam recte suis locis videbimus. Illud interim hic affirmare ausim, nullam obligationem dici posse simpliciter & absolute esse juris civilis sed *κατὰ τὴν (secundum quid)* dumtaxat, quatenus nimirum non nisi sub certo modo & forma ex consensu obligatio jure civili producitur.

Emtio & venditio, &c.] Hæc certa auctoritate juris auctorum probantur. Quamvis in questionibus ubi rei veritas exquiritur (qualis hæc est, an aliquis sit juris gentium nec ne), non tam auctoros quam rationum momenta in disputando querenda sunt ut scribit Cicero l. de natur. deor. cap. 5. & posita hæc sunt extra potestatem legislatoris.

TEXTUS.

Divisio Juris in scriptum, & non scriptum, & subdivisio Juris scripti.

3. *Constat autem jus nostrum quo utimur, aut scripta, aut sine scripto: ut apud Græcos τὰν νόμον ἢ μὴ ἔγγραφοί, ἢ δὲ ἀγραφοί. Scriptum autem jus est lex plebiscitum, senatusconsultum, Principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum.*

NOTA.

Quo utimur] Abest à l. 6. §. 1. ff. de just. & jur. unde hæc sumta; nec Cujac. Honor. Wesenb. agnoscunt.

COMMENTARIUS.

- 1 *Scripturam non pertinere ad legis essentiam.*
- 2 *A quo tempore lex obligare incipit.*

Jus scriptum in divisione proposita non opponitur omni juri non scripto: nam & jus naturale ac gentium est ἀγραφοί τῶν sed tantum ei juri quod moribus & longa consuetudine introductum est. Eodem enim sensu jus dividitur in legem & consuetudinem, legis voce latius accepta pro quavis parte juris scripti. Desumptus hic locus est ex l. 6. §. 1. & l. seq. de just. & jur.

1 *Scripto, aut sine scripto*] Distributio juris civilis ex accidenti & causa instrumental. Nam formalis differentia legis sive ejus juris quod opponitur juri non scripto aut consuetudini, non est scriptura sed expressa voluntas & sanctio civilis potestatis; sicut è contrario consuetudo aut jus non scriptum formam & essentiam suam habet à tacita voluntate & consensu utentis populi, s. *sine scripto* 9. inf. eod. l. de quibus 32. de legib. Hujus rei evidentissimum argumentum est quod nec consuetudo in scripturam redacta lex sit, nec lex non scripta consuetudo. Lacedæmonii scriptis legibus usi non sunt, legibus tamen usi sunt; atque una τὰν καλῶν νόμων ἐν τῶν (earum quæ Retra. sive oracula vocabantur) hæc erat, *μὴ χρῆσθαι νόμοις ἔγγραφοίς, scriptis legibus non uti.* Plutarch. in Lycurg. p. 47. Atque ut è romana Republica exemplum petamus, numquid non lex erat, cum rogante magistratu, *velitis, jubeteis Quiritibus*, &c.

ac populus in tabellis respondisset *Uti rogas?* Quod autem rei jam in esse suo constituta ex accidenti supervenit id de illius rei essentia non est. At enim, inquit, sine quo lex non obligat id utique est esse essentialia: sine scriptura autem non obligat, cum sine ea in noticiam populi pervenire non possit, arg. *leges sacratissima* 9. C. de legib. Ut de propositione nihil in præsentia dicam, falsam esse assumptionem evincit tum exemplum prolarum, tum leges quas diximus Lacedæmoniorum. Ratio quoque assumptionis falsa est. Quid enim? An non voce præconis quoque lex promulgari potest? Et proinde certum est, in l. humanum 8. Cod. de legib. faciliorem tantum promulgandi rationem proponi. Cur igitur legem appellamus jus scriptum? Quia nimirum proquam lata esset scribi solebat & scripto promulgari, aut in tabulis incisa publice proponi quo & cognosceretur facilius & minore negotio probaretur. Moris quoque erat apud Romanos ut qui legem ferre vellet eam trinundino promulgaret, id est de sua lege ad populum diceret, eamque scriptam publice propositam haberet, si qui potestas fieret populo cognoscendi otiose, & ut inde liceret liberiori describere, si qui vellet legem apud se habere, ut liquet ex 2. Agraria. Plane si non alio modo promulgandi civitas utatur quam per scripturam, potest dici scripturam ad vim legis necessariam esse; neque enim ante lex vi sua constar civem ad observationem vel poenam obligat quam populo innotescere poterit, quod sine promulgatione sive publicatione aliqua fieri non potest, l. 7. cum 2. seq. C. de legib. Perez ad Cod. de legib. num. 18.

2 An igitur lex statim ut publicata est, obligat? Maxime; eoque jure utimur, extra quæ si certum tempus nominatim lege comprehensum sit ex quo vim capiat, ut fit interdum, Nov. 57. in fin. Nov. 116. c. 1. Exat sane Constitutio quardam *τε τῶν νεώτων* que indulget spatium duorum mensium à die publicationis observandum in omnibus novis legibus, Nov. 66. cap. 1. Verum ea Constitutio recte sic à plerisque accepta est, ut prosit hoc spatium ad allegationem ignorantie, atque hæc interim prasumat; non quin lex promulgata citius obstringat eum in cujus noticiam ante pervenit. Quod si quis post lapsum ipsius temporis ignorantiam alleget, esse quidem adhuc audiendum, sed hæc conditione ut causam ignorantie, quam allegat, probet, per l. ult. de decr. ab ord. fac. V. N. S. *Scriptum jus revera idem est ac promulgatum: non scriptum,*

ac non promulgatum. Locutio à Græcis desumpta, in quibus *ὑπάκουσι νόμοις* non est *leges scribere, sed publicare.* Hinc & Lycurgum *ὑπάκουσι νόμοις* (leges scribere) ait Liban. p. 476. tom. 1. cum tamen Lycurgi leges scriptas vulgatas non esse satis conser. Plut. in Lycurg. p. 47. Hinc & jus civile à prudentibus invecutum sine scripto venire & consistere dicitur, l. 5. §. 3. & 12. ff. de O. I. non quod literis consignatum non fuerit, sed quod non solemniter publicatum. Eodem modo Plato, apud Læct. *νόμος (legem)* dividit in *ἔγγραφοί καὶ ἀγραφοί (scriptam & non scriptam)* & hæc esse ait *τῶν κατὰ τὴν γὰρ νόμων, quæ in more vel consuetudine posita est* Hæm. *Scriptum autem jus*] Subdivisio juris scripti, quæ quidem ad juris præsentis auctoritatem non multum pertinet. Omnina enim quæ in libris nostris continentur auctoritate Justiniani nituntur, l. 1. & 2. C. de vet. jur. enucl. Sed quoniam hæc confirmavit Justinianus, quia in veteri jure erant *ideo & hic in π* (Pandectis) extare voluit testimonio ex jure propriorum temporum, ut juris consueti historia intelligeretur.

TEXTUS.

De lege & plebiscito.

4. *Lex est quod populus Romanus senatorio magistratu interrogatus (veluti Consule) constituebat. Plebiscitum est quod plebs plebeo magistratu (veluti Tribuno) constituebat. Plebs autem à populo eo differt quo species à genere. Nam appellatione populi universi cives significantur, consumerati etiam patricii & senatorii. Plebis autem appellatione sine patriciis & senatoriis ceteri cives significantur. Sed & plebiscita lege Hortensia lata non minus valere quam leges ceperunt.*

COMMENTARIUS.

- 1 *Legis variae significationes.*
- 2 *Non omnibus magistratibus senatoriis legibus ferendis comitia habendi jus fuisse.*
- 3 *Patricio genere semper, non ordine à plebeis distinctis.*

Sequitur singularum juris scripti partium explicatio, cui non lumen aliquid ex Antiquissimis memoria afferemus, cujus ignorantio citatos errores peperit.

1 *Lex est*] Legem à legendo dictam scribit Cicero lib. 1. de legib. cap. 6. quoniam in lege inest vis delectus: jubet enim quæ honesta sunt, prohibetque contraria.

Unde vocabulum legis non minus late patet quam juris. Tam enim dicimus, lege naturam quid concessum aut vetitum esse quam jure, ut apud Ciceroem passim. Frequentissime autem legem appellamus quæ scripto sancit quod vult, eaque popularis est hujus vocis significatio teste eodem Cicero *d. lib. 1. de legib. cap. 6.* Neque tamen omnis scripta sanctio archæ significata lex est, sed ea tantum qua universus populus obstringitur. Nec alia de causa plebiscita initio leges dictæ non sunt quam quod partem tantum civium obligabant. At post legem Hortensiam plebiscita non minus proprie leges appellata quam quæ populus centuriatum jussisset.

2. *Senatorio Magistratu*] Lex ferebatur comitiis centuriatis à magistratibus penes quos erant majora reipublicæ auspicia, puta à consule, dictatore, vel prætore; non autem ab omnibus magistratibus senatoriis aut curilibus: non à censore, interrege, aut ædilibus curilibus. Interreges quidem magistratibus creandis centuriata comitia habere poterant; sed legibus ferendis habere eis non licuit, ut apparet ex 3. in *Rullium*; nimirum quia in interregio nihil prius cum populo agi licebat quam subrogati essent ordinarii magistratus. Sed neque censors centuriatis comitiis legem tulisse usquam legitur; cumque leges censorias apud Auctores reperimus, pro censorum subscriptionibus, ut Cicero *pro Cluentio* appellat, aut locutionibus censoribus factis, ut 7. in *Verrem*, accipi debent. Populi tamen vocandi jus habuisse, ex his que de lustris condendi ratione Livius commemorat ostendi potest. Postremo nec ædiles curules ulla comitia habuisse usquam invenias, qui nec alias jus agendi cum populo habuerunt præterquam in multæ curatione; de que vide Nic. Gruch. *lib. 1. de comitiis Rom. c. 3. & lib. 2. c. 3.* VINN. Præter consules dictatores & prætores leges etiam tulerunt magistratus majores extraordinarii reliqui, veluti *tribuni militum consulari potestate*, & *decemviri*. De censoribus subsisto, ob legem Metilianam de fallonibus, à censore quippe latam, si credendam Plin. *Hist. N. XXXV. 17.* HEIN.

Interrogante] Rogabat Magistratus his verbis: *vellitis, jubentis Quirites*, &c. Populus respondebat in tabella vel per litteram A, id est, *Antiquo*; vel per F. R. id est, *Uti rogatis*, quod ex antiquorum plerisque locis intelligitur, vide Agell. *lib. 10. c. 20.*

Plurimi tribunos] Tribuni & ædiles plebei

proprii plebis magistratus erant, sed ædiles rogationes ad plebem tulisse nemo prodidit. Plebiscita comitiis tributis, leges centuriatis aut curiatis ferebantur, qua de re Antiquissimi studiosi consulant Car. Sigonium, & Nic. Gruchium qui ex professo de comitiis Romanorum, & quæ res quibus comitiis tractari solent, scripserunt Quædam & nos notavimus sub §. 1. *inf. de testam. ord.* VINN. Sæpe tamen & leges tributum latas esse exempla docent quamplurima. Nam & majores magistratus senatorii tribus in suffragia mittebant. Exemplum est in lege Quintia apud Frontin. *de aquaduct. & Reines. Interpr. clar. 7. §. 10.* HEIN.

Quo species à genere] Rectius dixisset, quo pars à toto. Est quidem & genus quoddam totum, sed universale, & species pars generi subiecta; sed tale totum non est populus, sed *comitiis* 71, quod ex partibus suis, plebe & patriciis constituitur.

3. *Sine patriciis & senatoribus*] Hæc ad rationem priorum temporum proponi videntur, quibus honores & dignitates omnes soli patricii sibi vindicabant. Nam ex quo etiam plebi aditus ad magistratus populi & in senatum esse cepit, senatores plebeis opponi desierunt. Sane patricii gente sive genere à plebeis semper distincti fuerunt. Dico *genere*: nam quod ad ordinem pro censu cujusque distinctionem attinet, certum est multos à patriciis familiis, puta qui equestrem aut senatorium censum non habebant, in ordine plebeio; & contra plurimos ex plebeis gentibus in ordine equestri aut senatorio fuisse. Quin olim etiam antequam ex censu maximo senatores esse ceperent, quod postremis temporibus factum esse scribit Plinius in *proem. lib. 14.* ipsi senatores qui minimi census erant inter pedes numerabantur, & suffragium si velle velent in quinta classe suffragium dicere debebant. Vide Gruch. *lib. 1. de comit. Rom. cap. 4.*

Legem Hortensiam] Tribunitiis rogationibus initio pars tantum civium non omnes adstringebantur. Primi L. Valerius & M. Horatius consules, cum velut in controverso jure esset tenerentur Patres plebiscitis, legem centuriatis comitiis tulerunt ut quod tributio plebs jussisset populum teneret. Id factum anno ab urbe condita 304. secessionem secundam in Aventinum, *Liv. lib. 3.* Idem postea confirmatum lege Hortensia lata à Q. Hortensio dictatore secessionem tertiam in Janiculum, anno ab U. C. 367. Et iterum à dictatore Q. Publilio, anno ab U. C. 413. Vid. *Liv. lib. 8. Flor. in Ep. 1. 1. Gell. lib. 15. c. 27.* VINN. Immo tres ordine leges eam

ia

in rem lata sunt, *Horatia A. U. C. 306. Liv. III. 55. Publilia A. U. C. 416. Liv. VIII. 10.* & denique *Hortensia A. U. C. 466. epist. Liv. lib. 11. Gell. XV. 27.* HEIN.

Non minus valere quam leges] Ita factum est, ait Pomponius *l. 2. §. deinde 8. de orig. jur. ut inter legem & plebiscitum species interesse constituitur; poterat autem eadem esse. In summa ut plebiscita etiam leges revera & essent & appellarentur.*

TEXTUS.

De Senatusconsulto.

1. *Senatusconsultum est, quod senatus jubet atque constituit. Nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum ut difficile esset in unum eum convocari legis sancienda causa, equum visum est senatum vice populi constitui.*

COMMENTARIUS.

1. *Quando & unde senatus juris condendi auctoritatem accepit.*

Constat jus legis ferendæ stante adhuc republica solius populi, non senatus fuisse: cui quidem, ut Consilio publico, permissum erat de his rebus que ad constituendam rempublicam pertinebant, cognoscere atque decernere; sed ita ut que majoris momenti viderentur non aliter rata essent quam si ea aut populus aut plebs confirmasset. Polyb. *lib. 6. c. 12.* Dion. Halic. *l. 4. & 7.* Nec illo senatusconsulto aut jus novum introductum aut vetus sublatum legitur; ac ne Julio quidem & Augusto imperantibus ulla hujusmodi senatusconsultorum mentio, sed legum tantum ut plebiscitorum. Ac proinde verissimum est quod Bodinus *lib. 1. de rebus c. 10.* scribit senatu Romano ab eadè urbe Regibus usque ad Tiberiorum Cesarum dominatum leges jubere ad licuisse, sed decreta tantum annua, que tamen nec populum nec plebem tenerent; & manifeste fallitur D'Connan. *lib. 2. code Senat.* senatu Romano tribus perperam legis condenda potestatem. Nam Dion. Halic. *d. lib. 4.* expresse scribit senatusconsulta nullam vim legis habuisse nisi plebs ea probaret; & que populus probaverat annua tantum fuisse nisi rogatione ad populum vel ad plebem vim legis adipiscerentur. Quod igitur est, quod Jurisconsultus scribit in *l. non ambigitur 9. de leg. Non ambigitur senatum jus facere posse; Non potuit integra*

adhuc repub. sed tamen demum posse cepit cum comitia è campo ad Patres translata sunt, quod à Tiberio primum factum esse testatur Tacit. *lib. 1. annal. c. 50.* Quippe Cæsar dictator, auctore Suetonio, in Jul. c. 41. jus comitiarum non in totum populo ademerat, sed eum eo partitus erat. Atque idem jus bellis civilibus diu intermissum reduxerat Augustus. Sic enim auctor quod idem Suetonius c. 40. in Aug. scribit: *Augustum jus pristinum comitiarum reduxisse; eumque Suetonii sensum ex Dione adstruit Just. Lipsius; ego etiam ex verbis Taciti, que mox subjicit: nam ad eam diem, inquit, etiam potissima arbitrio Principis, quadam tamen studiis tribuum fiebant. Ex eo enim tempore legibus & plebiscitis quiescentibus senatus jus facere cepit: quamquam non tam propria auctoritate, quam convenientia quadam & indulgentia Principum; quod vel unus Tacitus nos docere potest, & argunt orationes Principum in senatu haberi solite, in quas senatusconsulta fiebant. Tandem translato in Orientem imperio, mutataque penitus reipublica forma hæc potestas etiam exolevit, atque à Leone Philosopho senatu nominatim senatu adempta est. Nov. Leon. 78.*

2. *Nam cum auctus*] *ἄντιπλοῦς* (Rationem reddit) At *τὸ ἀδύνατον ὄντων* (non causam pro causa ponit). Nam ex Livio *lib. 1. cap. 17.* Dionys. Halicarn. *lib. 2. & 6. p. 392.* dissimulatus senatusconsultorum primordia verissimum esse; legemque jam inde ab urbe condita fuisse que omnia in senatu potestate ponebat, præter magistratum creationem, legum rationem, & belli inferendi deponendique arbitrium. Sed fortassis hoc dicere Justinianus voluit quod & Pompon. in *l. 2. §. deinde 9. de orig. jur.* aucto populo in eum modum ut difficulter jam omnes convenire possent, necessitatem eo rem deduxisse ut aliquo visum fuerit etiam de his rebus senatum consuli de quibus antea ad populum ferri solebat. Sed & hoc ipsum falsum esse, ex his que paulo ante diximus manifeste liquet, potestatemque populi ad senatum translata astituta Cesarum; qui, ut Tranquillus in Tiberio scribit *cap. 29. & seqq.* senatus potentiam augendo sua serviebat.

TEXTUS.

De Constitutione.

6. *Sed & quod Principi placuit legis habet vigorem; quum lege regia; qua de ejus imperio lo.*

lata est, populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concedat. Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevis, vel edito preceptis legem esse conat. He non, quae constitutiones appellatur. Plane ex his quaedam sunt personales quae nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult. Nam quod alicui ob meritum indulget, vel si quam poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur. Aliae autem cum generales sint omnes proculdubio tenent.

L. 12. Tit. 1. Part. 1.

NOTA.

Edicto preceptis] Edictum est, cum Princeps motu proprio, & ius iuris variis, aliquid constituit ad honestatem & utilitatem subditorum. Theophil. l. 1. c. de legib. & fere ad Praefectis praetorio huiusmodi constitutiones dirigitur, ut in l. 6. C. de secund. nupt. & similib. VINN. Imo & ad praesides dirigebantur edicta, ut l. un. C. Theodos. de Strator. l. 6. tit. 31. quin & ad provinciales, veluti l. 17. C. Th. de tiron. l. 7. tit. 13. HEIN.

COMMENTARIUS.

- 1. Lege regia jus omne populi private in Principem translatum.
- 2. Genera constitutionum exposita.
- 3. Quid & quotuplices sint; cum quam vim habent constitutiones personales & privilegia, & num. 5.
- 4. Privilegiorum rariorem utam esse in statu democratico, quam in monarchico.
- 6. De recipiis contra jus elicitis; & de precibus sub & obreptiis; nec non de notatoria praescriptione.

Lege Regia] Hac eadem habet Ulp. l. 1. de const. Princ. Latam autem fuisse legem, idque sub Augusto, eamque secutum in eadem sententiam senatusconsultum, qua lege populi omnis potestas Principibus concessa, ipsique legibus soluti sunt, probatur testimonio Dionys. qui lib. 53. de Principibus loquens, ἀδούτοι, inquit τοῖς νόμοις, ἀδ' ἀνά τὰ κατὰ τὴν βίαντα λέγον (soluti sunt legibus ut ipsa verba Latina sonant). Quod non nisi de verbis alicujus legis accipi potest. Eadem est, quae lex imperii dicitur l. ex imperfecto 3. C. de testam.

Et, & in eum] Hec verba in eum Theophil. Hotom. Wesemb. interpretantur in se, quod

nimis argutum. Probabile est, populum his verbis in formula legis usum ad ostendendam eamque suam voluntatem omne imperium suum *παροχάσθαι* (omnino) transferendi. Fabrot. V. NN. Alia exempla ubi omnia & in omnibus simili pleonasmo junguntur, collegit Ger. Nood. Obv. 1. 3. qui recte docet, ei & in eum non valere, probante hanc observationem V. C. Car. Andr. Dukero de Latina. l. Gior. Vetr. p. 324.

HEIN.

1. Omne imperium & potestatem] Ergo populum retinuit veterem potestatem, amque cum Principi communicavit duntaxat, sicuti illi sentiunt, qui populum non private sed cumulative potestatem suam in Principem contulisse contendunt; qui error in notissimis Politicis principia impingit, & manifestior est quam ut refutari debeat. Non equidem nego jura majestatis ita dividi posse ut non omnia in unum quem Principem constituit populus transferatur, & quaedam apud optimates aut populum remaneant, atque ita temperata ac mixtum fiat imperium; sed eadem jura majestatis & transferri & retineri nullo modo possunt. Nihil ad rem facit, quod Principes ad invisit populo nominibus regis aut domini abstinuerint, cum alio sub nomine regiam potestatem exercerent, auctore Dione d. lib. 53. Quod non satis examinavit D. Guadalinus lib. 5. de jur. noviss. cap. 2. multo autem minus jus illud imaginarium populi in suffragiis ferendis, aut illa in jure condendo precaria Senatus auctoritas. Manebant enim tunc temporis adhuc, ut inquit Tacitus, vestigia morientis libertatis. Et verissime de populo Romano Juvenalis Satyr. 10.

Qui dabat olim.

Imperium, farces, legiones, omnia, nunc se Continet, atque duas tantum res anxius optat, Panem & Circenses.

2. Quodcumque ergo Imperator] Constitutio Imperii non sunt unius generis. Distinctio à causa finali, hoc est à scopo & intentione Principis sumenda. Etenim vel hoc aperte & directe Princeps agit ut legem condat & jus praescribat, quod fit non tantum cum generaliter & motu proprio quod constituit ad usum subditorum, quae species constitutionis Edictum dicitur, & lex edictalis; l. 6. C. de sec. nupt. cum simil. sed etiam cum respondet magistratibus de jure dubio consulentibus, quamquam Theophilus hoc genus constitutionis epistolae speciem facit; vel non agit id prin-

cipaliter ut jus aliquod in commune constituat, sed ut in specie litem aliquam inter partes componat; & tamen propter excellenteriam & dignitatem personae constitutis id quod constituit legis vigorem habet, l. 1. §. 1. de const. Princ. l. ult. C. de legib. cum à iudicibus res iudicatas aliis non nocentur. C. res int. al. aff. vel jud. al. non noc. ac ne sententia quidem late in consistorio Principis, aut ibi ipso quidem Principe, sed ad relationem & consultationem iudicum, l. 2. l. 3. C. de legib. Vide tamen Christin. vol. 2. decis. 63. num. 3. & segg. & vol. 3. decis. 111. num. 8. & 9. Posterioris hujus generis dux sunt species, epistola & decretum. Epistola proprie dicitur, cum privatis de jure suo consulentibus Princeps rescribit. Decretum *ἀποκρίσις* (regia declaratio) cum ipse de causa cognoscit & partibus auditis sententiam pronuntiat; quem veterum Principum morem fuisse restantur historici AA. Scripserunt Elegen exemplum habemus in l. 3. ff. de his qua in test. del. VINN. Alia exempla extant in lib. 13. ff. quod met. cau. l. 4. ff. de inst. her. Conf. Jac. Gothofr. ad l. ult. C. Th. de offic. judic. omn. ubi plenissime de modo, quem principes in decernendo observant. HEIN.

3. Quaedam sunt personales] Cum dixisset non ea tantum quae Principis edicto preceptis, sed etiam quae per epistolam constituit ad cognoscens decrevit vim etiam in aliis causis & personis habere, id nunc ex Ulpiano in d. l. 1. §. 2. de const. Princ. sic temperat, nisi aliam esse voluntatem & sententiam Principis appareat: esse enim constitutiones quasdam personales quibus jus singulare in certa alicujus personae gratiam constituitur. Haec sunt quae privilegia Latini dicuntur, eo quod Veteres privo dixerunt, quae non singula dicimus auctore A. Gellio lib. 10. cap. 20. & Festo in voce privo, ubi Jos. Scal. in annot. Offendit me, inquit, quod apud Ciceronem pro hac voce (privo) privatum substituerint, ut in ea pro Dom. c. 17. Vellent leges sacratae & vetant XII. Tabulae leges privis hominibus irrogari at hodie leguntur privatis, cap. 19. Item 3. de legg. Tantum majores in posterum providisse in privatos homines leges ferri noluerunt, cum Cicero scriperit, in privos homines subjicit enim: id enim est privilegium. Postea interpretatur, ferri de singulis nisi centuriatis committis noluerunt. Ait autem Justinianus huiusmodi constitutiones personales sive privilegia aut jura singularia in exemplum nou trahi nec

personam egredi: quoniam non ea mens sit Principis, qui solus, puta Titius aut Sempronius causa aliquid constituit, ut id, quod ita constituit in universum pro jure observetur aut ad alios transferatur. Apparet vero ex ipsis verbis non agi hoc loco de privilegiis causae aut rei, sed personae quibus sola personae conditio locum facit: qualis sunt privilegia militum, Doctorum, studiosorum, &c. Item immunitas certae personae tributa; l. 1. de jur. immun. jus tacite hypothecae quod in exigenda dote mulieri indultum est in bonis mariti, & nominatim à Justiniano, cum hoc privilegio ut aliis creditoribus hypothecariis etiam tempore prioribus, praferatur. l. assiduus 12. C. qui pot. in pig. Tale item beneficium est quod parenti, patrono, marito, donatori, &c. concessum, ut in id tantum quod facere possunt condempnentur. l. sunt qui 16. & segg. de re jud. l. 11. & segg. in matr. Hac & similia personarum privilegia deficiente persona cui data sunt statim simul deficient ut extinguuntur, neque ad successores transunt, dist. 11. l. in omnibus 68. l. privilegia 266. de reg. jur. nisi id quoque nominatim privilegio cautum sit. l. 4. de jur. immun. At quae privilegia magis causae quam personae praestantur, ea hereditibus quoque & ceteris successoribus tribuuntur, d. l. in omnibus 68. & d. l. privilegia 196. de reg. jur. Cujus generis beneficia sunt immunitates generaliter locis aut civitatibus aut familiis datae, l. 4. §. 3. de consub. induciae temporis quo iudicatis indulgentur, l. tempus 20. de re jud. jus ante omnem creditum deducendi impensas funeris, l. per. junct. l. filiusfam. 31. §. ult. de rel. & sumpt. fun. &c. de ad. D. Pet. Fab. ad d. l. in omnibus 68. & d. l. privilegia 266. de reg. jur. Christin. vol. 5. decis. 47. num. 30. segg.

4. Usus privilegiorum, ut hoc obiter addam, frequenter est ubi singuli regunt quam ubi universi, propterea quod in Statu populari major esse debet qualitatibus observatio, quam ob causam etiam lege XII. Tab. cautum fuit ne privilegia irrogarentur, teste Cic. pro dom. 19. quod Decem-viros à Graecis accepisse ex oratione Demosthenis contra Aristocratem liquere potest. Ceterum hoc jus erat ordinatius nam extra ordinem jure supreme potestatis privilegia etiam à populo aliquando ferebantur, sed non nisi centuriatis committis. Cic. 3. de legib. c. 19. Quale illud apud Romanos fuit, ut quis ante magistratum capere posset quam per leges licebat. Sic

Athenienses cum injurati nullius testimonium admitteretur, soli Xenocrati remiserunt jusjurandum. Diog. Laert. in Xenocr.

5 Ob merita induluit] Tres personalium constitutionum species hoc loco proponuntur: si quid Princeps alicui ob merita indulset, puta et immunitatem ab oneribus publicis: si quam poenam irrogavit, puta graviorem ordinaria propter exemplum: si cui sine exemplo subvenit, puta gratiam delicti fecit. Ubi obiter notandum privilegia non solum pro aliquo, verum etiam in aliquem ferri posse, ut in Milonem à Pompejo, in Ciceronem à Clodio lata sunt. Cic. pro dom. sua, c. 17.

6 Illud hic prætereundum non est non ut quisque privilegium à Principe impetravit ita & continuo id valere. Nam primo rescripta Principum contra jus vel utilitatem publicam elicita à iudicibus improbari etiam ipsorum Imperatorum constitutionibus jubentur, extra quam si prosint petenti & alium non lædant, vel crimen supplicantiibus indulgeant, l. 5. §. 7. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. si cont. jus vel util. pub. aut licet cum læsione alterius, moratoria dumtaxat præscriptio debitori permittitur, ut est in l. 2. C. de prec. Imp. offer. id est exceptio dilatoria, exceptio non qua perimatur actio, sed petitio & exactio in tempus certum differatur spatio ad solvendum debitori dato. Quo tamen casu placet non aliter rescriptum valere quam si fidejussio idonea super debiti solutione præbeat. l. 4. C. d. tit. Vinn. Hodie exceptiones moratoriz à supremo Consilio impetrantur, quæ concedi non debent, nisi creditoris datis fidejussoribus caveatur, l. 13. Tit. 18. Part. 3. ADDIT. Secundo si Principi subreptum sit, celata scilicet veritate, vel obreptum expresso mendaciter rescripti fructu privati jubetur qui id impetravit, l. 2. C. de leg. l. pen. C. si cont. jus vel util. pub. Utramque ex voluntate & mente Principis sumtum est, qui non creditur aliquid velle contra utilitatem publicam concedere, aut aliter quam si preces veritate nitanter, l. 7. C. de divo, resp. l. pen. §. ult. C. si cont. jur. Hinc est quod à Curiiis rescripta ejusmodi rejiciantur admitteri, sive ut nunc loquuntur interitari solent. Vinn. Quod ut faciant etiam legibus Regis eis præcipitur, l. 1. §. 2. Tit. 14. lib. 4. Recop. ADDIT.

TEXTUS.

De Jure Honorario:

7. Prætorum quoque edita non modicam ob-

LIB. I. TIT. II.

tenentis juris auctoritatem. Hoc etiam jus honorarium solemus appellare: quod qui honores gerunt, id est magistratus auctoritatem huic juri dederunt. Proponebant & adiles curules editum de quibusdam causis quod & ipsum juris honorarii portio est.

NOTA.

Juris honorarii portio] Jus honorarium genus est cujus species Prætorium & Edictum. Vinn. Immo & Proconsulare. Nam & Proconsules Edictum Provinciis proposuisse nemo ignorat. HERN.

COMMENTARIUS.

- 1 Unde Prætori, & qualis condendi juris potestas.
- 2 Adiles curules qui & unde dicitur.
- 3 Jus ædilitium quo sensu dicitur sub prætorio contineri.

Inter species juris civilis numeratur hoc loco & jus prætorium, quod tamen non raro ut species diversa juri civili opponitur. Sed non est novum in jure nostro ut idem nomen nunc latius nunc angustius accipiatur, & quod per se positum nomen generis est contrahatur ad certam speciem oppositam speciei ejusdem generis. Itaque cum jus civile à prætorio distinguitur, per jus civile intelligitur quod ex legibus; plebiscitis, senatusconsultis, decretis Principum, auctoritate prudentium venit; per prætorium, quod illius juris adjuvandi supplendi corrigendi causa magistratus introduxerunt. Papiam. l. 7. de just. & jur.

1 Unde autem Prætori juris condendi potestas? Neque enim Prætor aliud quam magistratus fuit juri dicendo, non condendo, quod majestatis est, præpositus: custos juris civilis, non arbitrer neque ulla lege talem potestatem Prætori datum uspiam legimus. Sic existimo Prætores ab initio jure magistratus edita tantum proposuisse de quibus rebus & quomodo jus dicitur essent, l. 2. §. eodem tempore, 10. de orig. jur. Progressu autem temporis non obnitente populo hoc simul usurpasse ut edicendo etiam jus constituerent, ut tamen edicta eorum minorem longe vim quam leges haberent, nec abrogare jus constitutum aut receptum possent, l. cum sponsus 22. §. 4. de publ. in rem act. l. 12. de just. & jur. sed tantum adjuvare, supplere, corrigere; l. 7. §. 1.

DE JURE NATURALI GENT. ET CIVILI.

§. 1. de just. & jur. hoc est rigorem juris civilis mitigare, & de his que legibus nec sancta nominatim nec vetita essent ex bono & æquo aliqui statuerent, etiam præter rationem juri civilis. Nam certe plus hic licentis prætorum quam vel jurisconsultis vel iudicibus privatis arguunt tot exceptiones præter manifestas, tot bonorum possessiones præter manifestas rationem juris civilis à prætoribus constituta, in quibus ante jus à prætoribus constituta nihil sibi sumere quisquam privatus potuit. Atque hinc est quod editum prætoris nonnumquam lex appellatur ut ab Ulpiano l. 1. §. 2. unde cog. & Cic. 3. in Ferr. Vinn. Vera hæc omnia si de jure quaeras. Neque enim quisquam dixerit jus fuisse prætoribus jura constituta abrogare. Sed ipso facto tamen abrogarunt, & fictionibus, novis inventis vocabulis, restitutionibus in integrum jus antiquum mutarunt, ut docuimus in Antiq. Rom. §. 24. h. t. Agnoscit hoc Dio. Cass. lib. 36. p. 21. referens quod prætores sive tā ὑπερφύλακται ἢ ἀλλὰ πραινοίσι δὲ τὰ ὑπερφύλακται, ἀλλὰ πραινοίσι δὲ τὰ ὑπερφύλακται, sed ea mutaverunt sæpe numero. HERN.

Qui honores gerunt.] Jus honorarium ad honorem prætorum nominatum esse ait Papiam in d. l. 7. §. 1. quod qui honores gerunt id est magistratus auctoritatem huic juri dederunt, ut hic Justinianus. Proponerunt quidem & alii magistratus censores consules tribuni edita, ut ex Cic. Cell. & aliis notum est, nec dubium quin secundum ea jus dictum fuerit; at tamen quia soli prætores juris dicendi causa creati sunt totaque fere jurisdictione peues prætores erant, hinc factum arbitror ut jus omne quod à jurisdictione venerat non minus prætorium quam honorarium appellaretur, atque appellacione prætorii etiam aliz partes juris honorarii continerentur.

2 Adiles curules] Curules ad distinctionem ædilitium plebis, nam ædilitatem curulem patricium magistratum fuisse constat ex Liv. init. lib. 7. dec. 1. Adiles autem dicitur à posteriori parte procuracionis eorum, quod ades sacras & privatas sarras tectas esse curules auctores Festus & Varro lib. 4. de ling. Lat. Nam & alia ad munus eorum pertinebant que recenset Cic. lib. 5. in Ferr. c. 14. & Gruch. l. 1. de comit. Rom. De verberbo vocis curules non magno opere laborandum; sive enim à curia sive à curru quo vehabantur sive à sella curule in qua sedebant eam deducas, per referendum.

Tom. I.

DE REBUS, MAXIMEQUE MANCIPIIS & JUMENTIS VENALIBUS, ITEM DE ANIMALIBUS FERIS CONTINENDIS, QUAE VULGO ITER ET EDICTUM SARRIS CELEBRE & EXPLICATUM LIB. 21. π. (Pandectarum) tit. 1.

De quibusdam causis] De rebus, maximeque mancipiis & jumentis venalibus, item de animalibus feris continendis, quae vulgo iter et edictum sarris celebre & explicatum lib. 21. π. (Pandectarum) tit. 1.

3 Juris honorarii portio] Jus ædilitium appellacione juris honorarii proprie continetur, ut species appellacione generis. Sed & prætorii appellacio jus ædilitium continet, l. 5. in pr. de verb. oblig. non quidem verbi significacione (næque enim adiles prætores erant) sed sententia scribentis. Et hoc est quod Pomponius scribit in d. l. 5. prætorias stipulaciones sic exaudiri oportere ut in his etiam contineantur ædilitia, nam & hæc, inquit, à jurisdictione veniunt: inveniunt id quod de prætoris tamquam principalium specie dictum est, etiam dictum intelligi de reliquis quarum interponendarum eadem sit causa & origo, jurisdictione nimirum magistratus.

TEXTUS.

De responsis prudentum.

1. Responsa prudentum sunt sententia & opinioniones eorum quibus permissum erat de jure respondere. Nam antiquitus constitutum erat ut essent qui jura publice interpretarentur, quibus à Cæsare jus respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententia & opiniones eam auctoritatem tenebant ut judici recedere à responsis eorum non liceret, ut est constitutum.

COMMENTARIUS.

Origo auctoritatis prudentum à capite accepta.

Postrema juri scripti pars sunt responsa prudentum. Cujus juris originem oportet præteritum est à capite accersere. Latius legibus 1. tabb. que perbreves erant & obscuræ, cepit (ut naturaliter evenire solet) ut interpretatio desideraretur prudentum auctoritatem, necessariaque esset disputatio fori. Hæc disputatio atque hoc jus quod sine scripto venit, compositum à prudentibus, communi nomine appellabatur jus civile, hoc est, nomine generis ad speciem contracto. Hæc Pompon. l. 2. §. his legibus de orig. jur. Unde primo intelligimus, interpretationem juris dumtaxat prudentibus permissam fuisse, non juri proprie condendi potestatem; ac neque hanc earum interpretationem statim pro jure acceptam, sed ubi ea

in foro agitata & recepta esset; quo respectu jus istud sine scripto introductum Pomponius ait, quod tamen pars est juris scripti quatenus ex interpretatione illius juris & legum sententia, *argum. l. 6. §. 1. de verb. sign.* ad quod declarandum habemus accommodatissimum exemplum *infra. tit. de leg. patr. tut.* atque hoc sensu recte opponitur consuetudini. Item jus illud sive receptas interpretum sententias compositas hoc est descriptas atque in certum volumen collectas fuisse, neque ab iis iudicem in iudicando potuisse recedere, utpote quae partem constituerent juris civilis eoque nomine in specie etiam appellarentur. Atque ut hoc obiter sciamus, ante tempora Augusti quicumque studiorum suorum fiduciam habebat de iure consulenti publice respondere poterat. Divus autem Augustus quo major esset juris auctoritas primus constituit ut ex sua auctoritate responderetur. Post quod tempus peti pro beneficio & à Principe jus respondendi dandi coepit, ut in *d. l. 2. circa fin. idem Pompon. scribit.* Quam ob causam nonnulli existimant ex eo demum tempore responsa auctoritativeque Jurisconsultorum inter partes juris scripti numerari coepisse. Nunc verba hujus §. inspiciamus.

Permissum erat de iure respondere] Hoc ad tempora liberæ Reipub. referri non posse ex jam dictis liquido apparet, sed ad posteriora referendum postquam nimirum D. Augustus hoc jus à Principe peti voluit. Fallitur Theophilus dum putat hoc jus à populo ad Senatum concessum fuisse.

De iure respondere] Veteres codices (auctore D. Pacio) habent *jura condere*, id est *responderi*. Non male, nam & Consulti quodammodo jus condebant nempe, ut recte Theophilus, *κατὰ πείθει καὶ ἀνίσχει* (per consultationem & responsum) quo sensu etiam juris conditores nonnumquam appellantur, *l. nulla 23. C. de proc. l. si furiosi 25. C. de nupt.* Ceterum ut dixi, quod ita respondentes interpretando condebant non ex propria auctoritate statim valuit aut vim legis habuit, sed tum demum habere coepit cum usu forensi receptum esset; errantque adeo toto iudicio qui tantam Jurisconsultis auctoritatem tributam fuisse existimant, ut novam etiam jus condere potuerint per *l. ult. C. de legib. ubi tamen nihil eis conceditur quod antea non habuerint*, sed tantum relinquuntur pristina legum interpretandarum facultas. Add. *D. Gudel. u. §. de nov. jur. 2.*

Constitutum erat] Malo *institutum* m, ut non-

nulli codices habent; nulla enim constitutione tale quid sancitum fuit.

Jurisconsulti] Item jurisperiti & prudentes & auctores juris; modestia quoque causa juris studiosi appellari amabant, fortassis ad exemplum Pythagoræ, qui se non *εσφι* (sapientem) sed *φιλοσοφου* (sapientia amatorem) dici voluit. Itaque hæc appellatio communis est tam præceptorum quam discipulorum & auditorum juris, *l. 1. de off. assens. l. 9. §. 4. de pom. l. 4. de extr. cog. quibus in locis constat juris studiosos pro juris professoribus & assessoribus comitibusve iudicium accipi.* Add. *Cujac. 7. observ. 25. Rayard. 2. cons. 10.*

Quorum omnium] aut utique plurimorum, nam singulorum sententias eam vim tribuere perquam absurdum esset; & videtur Justinianus ut verba postrema hujus §. arguere respiciere ad constitutionem Theodosii quæ extat in *l. un. C. Theod. de resp. prud.* VINN. Immo omnino omnium quibus jus respondeandi à Principe datum opiniones & sententiae iudicem obligabant, eo modo uti hodie in Germania sententiæ à collegiis iudicibus conceptæ. Theodosii constitutio non ad responsa & sententias Jurisconsultorum, sed ad scripta veterum inter se dissentientia in iudiciis allegata pertinet HEIN.

TEXTUS.

De Jure non scripto.

9. Sine scripto jus venit quod usus approbavit: nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.

Vid. tit. 1. Part. 2.

COMMENTARIUS.

- 1 *Juris non scripti seu longa consuetudine introducti* quanta *unde auctoritas*, & *num. 2. & 5.*
- 2 *Ad jus consuetudine introducendum opus esse probabili Superioris scientia.*
- 3 *Quantum tempus quot actus & quales ad inducendam consuetudinem necessari.*
- 4 *An plures species juris quam quæ memoratas & de aequitate & communi opinione.*

1 *Sine scripto*] De quibus causis scriptis legibus non utimur id custodiri oportet quod moribus & consuetudine inductum est, *l. de quibus 32. de legib.* Immo

ma-

mentatur à jure suffragii ad jus introducendi consuetudinem est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere, *l. immo magne 36. cod. Unus est*, inquit alicubi Livius, *gravissimus juris censor & explorator, ut non possit non equum esse & utile quod in probavit, sapius facta periculo.* Cui simile est quod Aristot. *3. Polit. ult. scribit, plus valere & in rebus majoris momenti verari legi quæ moribus comprobata sunt quam quæ scripto constant.* Dicitur autem hoc jus non scriptum, non quod scribi non possit sed quod scribi necesse non sit, *d. l. 36.* Utique tamen utile est scripto id comprehendit ad lites & sumtus probationum minuendos; & videmus multarum regionum consuetudines non modo scriptas sed etiam comicentibus illustratas circumferri. Neque tamen idcirco consuetudo fit jus scriptum quod legem appellamus, quia non ex scriptura sed ex usu existimatur & facilius tantum probationis causâ scripta intelligitur.

VINN. Non fit jus scriptum per scripturam, quia non per modum legis publicatur *264. §. 4. utrum vivus esse leges publicare.* Vid. supra ad §. 3. h. t. HEIN.

2 *Consensu utentium*] nimirum tacito. Nam quemadmodum expressa sanctio legem facit, ita tacita populi voluntas consuetudinem. Unde de quoad vim & effectum inter hæc duo nihil interest. *Quid enim refert*, ait Julianus in *d. l. de quibus 32. suffragio populus voluntatem suam declarat an rebus ipsis & factis?* Populum autem etiam hic intelligere debemus nullius imperio subiectum. Nam quæ civitates alterius imperio parent non magis tacito consensu consuetudinem introducere possunt quam expresso legem. Hinc quia ejusdem est legem tollere cuius est condere, recte rescriptum est in *l. 2. C. quæ sit longa cons. legi à Principe late contracta consuetudine derogari non posse.* Quomobrem etiam existimandum est Julian. in *d. l. de quibus 32.* respexisse ad anteriora tempora quibus populo adhuc jus suffragii erat; aut ad ea jura que nondum sublate jure suffragii moribus introducta sunt, quale est pupillaris substitutio, *l. 2. de vulg. & pup. subst.* item quæro inofficiosi testamenti, *l. 3. in pr. de bon. poss. cont. tab. donationis inter virum & uxorem improbatio*, *l. 1. de donat. int. vir. & ux.* & si que sunt generis ejusdem. Forasram etiam jura municipiorum consideravit quæ suis legibus & moribus utebantur etiam sub Imperatoribus, ut notavi *sup. §. 1.* Evincit hoc ipsa Jurisconsulti disputatio qui argu-

D 2

edere debemus sed totius populi usum, cumque colligere ex iis quæ non semel aut bis frequenter circa eandem rem & controversiam observata sunt, l. 1. c. quæ sit long. con. & observata tenaciter hoc est perpetuo similiter, l. ult. c. eod. non putarem ad inducendam cum veritatem duos actus sufficere quantumvis judiciales & notorios, quæ communis est opinio probata item à Gail. & Myns. V. 88. Atque etiam ab Ildephonso Rege in dist. l. 5. ADDIT. Sed hoc etiam arbitrio judicis relinquendum ut cetera quæ certo iure definita non sunt, arg. l. 1. §. ult. de jur. delib. l. 9. C. de bon. aut. jud. poss. Cujac. Menoch. Fab. ubi sup. eleganter D. Diod. Tulden. in comm. ad hunc tit. c. 4. Illud majoris partis consensu & recte receptum esse cum de consuetudine probanda queritur, necesse non esse probare eam aliquando firmatam fuisse iudicio contradictorio. Nam cum ea populi consensu inducatur, quid refert quod non etiam intervenerit res iudicata? Quid si tam certum jus fuerit ut de eo nunquam apud iudicem dubitatum sit, an non majoris auctoritatis id videri debet quam quod in iudicio contradictorio approbatum? l. immo magne 16. de legib. Consilii igitur est non necessitatis quod scribit Ulpianus in l. 34. d. tit. cum de consuetudine queritur primum explorandum esse an etiam contradictorio aliquando iudicio confirmata sit. Consilium dat ut id fiat, quia illa exploratio utilis est probatorio consuetudinem, scilicet ut paratas habeat eandem illas probationes quibus Consuetudo tum probata est.

5. Legem imitantur. Id est vim & effectum legis habent. Itaque non hic solus consuetudinis effectus est quod jus novum de quo nihil ante cavebatur inducat, sed etiam quod latam antea legem abroget, §. pen. inf. eod. Est & alius item consuetudinis effectus in iure scripto nimirum interpretando. Nam si de interpretatione dubia alicujus legis queratur monetur in primis inspiciendum esse, quo iure civitas retro in hujusmodi casibus utitur: optimam enim legum interpretarem esse consuetudinem, l. si de interpretatione 37. §. l. 1. reg. de leg. minimeque mutanda quæ interpretationem certam semper habuerat, l. minime 23. eod. V. 88.

Nos item in Hispania aut scriptis legibus utimur, aut non scriptis. Scriptæ leges multis Codicibus continentur ut vix alia gens sit quæ tot & tam elegantis Juris collectiones habeat. Sed cum in illis leges diversis tem-

poribus latæ contineantur quæ sibi invicem non in paucis derogant, opus fuit ut ordo in illis observandis constitueretur ab Ildephonso XI. lege lata in Comitibus Compluten-sibus, quæ confirmata fuit à Joanna Regina in-sibus, quæ confirmata fuit à Philippo II. in proximo leg. 1. Taurinarum, & à Philippo II. in proximo Regie in nova Recopilatione tenendus hic est. Primum locum obtinent Pragmaticæ & Leges consuetudine sunt confirmatæ, ut ei qui eas pro se asserti incumbat onus probandi earum usum, Rodrig. Suarez ad leg. Fori. Particularum leges postremum obtinent locum. Quando vero his legibus causa dirimi nequit, rectè Princeps adendum est qui jus novum constituat, non enim patet ad jus civile aut ad alias leges aditus l. 3. tit. 1. lib. 2. Recop. Consuetudinis apud nos non levis est auctoritas, licet tanta non sit ut etiam jura scripta abrogare valeat. Itaque leges novæ Recopilationis, Pragmaticæ, & ceteræ leges regie postea latæ, atque etiam Particularum observandæ sunt, etiam si consuetudo sit in oppositum, dist. l. 1. lib. 2. tit. 1. Recop. Leges vero Fori à moribus vim sortiuntur ut supra diximus. Consuetudines vero quæ novum jus inducunt aut vetus interpretantur præter jus & secundum jus, ut interpretes loqui amant, legem imitantur seu vim & effectum legis habent, cor. tit. 2. Partis 1. ADDIT.

6. Et hæcenus quidem explicatæ sunt partes juris civilis à Justiniano propositæ. Sed an non plures poni debuissent dubitari potest. Video enim à nonnullis inter partes jus non scripti præter consuetudinem, quæ sola à Justiniano posita est, numerari etiam res iudicatas sive præjudicia, & æquitatem. Sed utrumque perperam. Nam etsi rerum præsertim sapius iudicatarum non viliis est auctoritas, vim tamen legis minime habent, nec jus inducunt quod inter alios simili aut ejusdem generis controversia mota sequi necesse sit, tit. C. res int. al. aut. aut jud. al. non noc. eoque pertinet quod Imp. in l. nemo 13. C. de sent. & interl. rescribit, & vulgo dici solet, non exemplis sed legibus iudicandum esse. Christin. vol. 2. decis. 51. num. 5. §. seqq. Sed nec æquitatem proprie dicta hujus juris pars est; est quidem æquitas quia scripta non est, sed non eo sensu ita appellari potest quod sui illud constituit speciem juris civilis. Quod

ut planius intelligatur observandum est nomen æquitatis dupliciter accipi, vel in genere pro æquo quod cum omni jure conjunctum est, vel in specie pro eo quod est à jure civili diversum. Generalis appellatio etiam juri civili convenit: nam omnibus legibus & juri civili æquitas aliqua inesse creditur, nomenque juris non meretur quod ab omni æquitate destitutum est. Atque hoc sensu Cic. in Topic. c. 2. jus civile definit æquitatem constitutam iis qui sunt ejusdem civitatis; in specie autem & proprie accepta æquitas juri opponitur, non quidem scripto, ut male nonnulli, sed stricto. Hæc Græcis ἐπιείκεια dicitur, nostris etiam æquitas & bonum humanitas benignitas; ab Arist. §. Erb. 10. definitur ἐπιείκεια τῆς ἰσότητος δικαιοσύνης, juris legitimi correctio; casus usus elucet cum in verbis legis ex sententia extendendis & ad casus similes protrahendis ubi lex minus scriptis plus voluit, tum in verbis restringendis ubi ex sententia constat plus scriptis legatorem minus voluisse, maxime vero ad singulas facti interpretacione æquitate, tali tamen quæ ab specie accommodacione, tali tamen quæ ab expressa & manifesta legislatoris voluntate non recedat. H. c. pertinet l. 10. §. seqq. de legib. item l. 17. §. multa seqq. eod. Atque hinc etiam peti potest conciliatio l. placuit C. de judic. cum l. 1. C. de legib. & l. prospexit 12. §. 1. qui & à quib. man. Godefr. §. de jur. nov. c. 2. Christin. vol. 2. dec. 61. no. 3. §. seqq. Non est ergo æquitas hæc species juris civilis, sed quid à jure civili diversum consistens magis in arbitrio boni viri & iudicis unde & nonnunquam boni viri arbitrarum & religio iudicis appellatur. Quamobrem rectè Aristoteles d. loc. æquam & bonum comparat regulæ Lesbiæ; quippe cum indefinitam rerum & norma indefinita esse debeat, æquo & bono ita utendum esse ait ut fabri cementarii & structores utuntur norma Lesbia, quæ cum plumbæ sit & flexibilis eam structuræ cum usus est accommodant, nec semper ad no. nam exigunt structuram; quod Guil. Budæus initio annot. privæ opinionum exponit. Ea quæ de auctoritate communium opinionum hæc disputari solent in medio relinquo. Unum hic dico, etsi non vili esse debet quod plures sentiunt, & id iudicium integritus haberi quod plurimum sententis comprobatur, §. Clem. 1. v. 1. quod etiam de sent. excem. l. 1. in pr. de off. Quærit. non tamen usque adeo valere debere ut in manifeste errore jus faciat, arg. l. 2. C. de que sit long. con. Vid. Menoch. 23. presump.

TEXTUS.

Ratio superioris divisionis.

10. Et non ineliger in duas species jus civile distributum esse videtur. Nam origo ejus ab institutis duarum civitatum Athenarum scilicet & Lacedæmoniorum fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat, ut Lacedæmonii quidem ea quæ legibus observantur memoria mandarent, Athenienses vero ea quæ in legibus scripta comprehendent custodirent,

COMMENTARIUS.

1. Error Tribonianus notatus.

EXACTIS Regibus cepit populus Rom. incerto magis jure & consuetudine uti quam lege lata, donec placeret publica auctoritate decem constitui viros per quos peterentur leges à Græcis civitatibus. Itaque legati Athenas missi qui inclityas Solonis leges describerent, & aliarum civitatum Græcarum instituta mores juraque cognoscerent. Pomp. l. 2. §. exactis 2. de orig. jur. Liv. lib. 3. c. 31. §. seqq. Hæc leges in 12. tabulis postea descriptæ leges decemvirales & 12. tabb. sunt appellatæ; fons omnium publici privati que juris auctore eod. Livio.

1. Ex quibus perspicuum est jus scriptum sive leges Romanorum originem suam habere partim ex legibus partim ex moribus Græcarum civitatum; & insinuat errare Tribonianum qui jus scriptum Romanorum ab Atheniensibus non scriptum à Lacedæmonis arcessit. Nam primum male confert leges non scriptas Lacedæmoniorum cum jure non scripto Romanorum. Neque enim Lacedæmoniorum leges fuerit jus aliquid moribus introductum, quo sensu jus non scriptum hic accipi constat, & scripto hoc est legibus latis opponi; sed leges proprie dictæ & expressim sancitæ, quarum cas non scribi sed in memoria conservari voluerit legislator eorum Lycurgus. Secundo nec mores Lacedæmoniorum dici possunt originem dedisse juri non scripto Romanorum, non magis quam mores Atheniensium aut aliarum Græcæ civitatum unde legati Romæ missi leges petierunt. Nam non minus mores quam leges omnium populorum descripti in illis quas dixi duodecim tabulis, lege decem-

vuali perlata partem juris scripti Romano-
rum constituerunt. VNS. Sed vereor ne per-
peram dica scribatur Triboniano, ac si Ro-
manos jus non scriptum à Lacedæmoniis, scri-
ptum ab Atheniensibus accepisse statu-
erint. Distinguitur potius *vicius* in *el ypaqes* & *el paxos*
(*legum in scriptis* & *non scriptis*) originem ab
his civitatibus derivat. Et sane Lacedæmoni-
jura non scripto usi sunt, teste Plutarcho in *Lyc.*
p. 47. quamvis alio sensu ac Romani. *Ejus* ergo
in hoc §. usurpatur pro *ejus rei*, nec ad *res* jus
civile referendum. HEIN.

TEXTUS.

Divisio juris in immutabile & mutabile.

11. Sed naturalia quidem jura que apud
omnes gentes peraque observantur, divina qua-
dam providentia constituta, semper firma atque
immutabilia permanent. Ea vero que ipsa sibi
queque civitas constituit sæpe mutari solent vel
tacito consensu populi, vel alia postea lege lata.

L. 288. Still.

COMMENTARIUS.

1. Jus naturale seu jus gentium primæcum im-
mutabile esse, non item jus gentium secundarium nisi proportionaliter.
2. Immutabilitatem illam præcipue apparere in
notionibus divinitus animis hominum im-
pressis, quod exemplis declaratur.
3. Leges civiles etiam consuetudine contraria
abrogari posse.
4. Expediatur leges aliquando mutari?

EXPOSITO jure tum naturali tum civili,
observataque utriusque differentia in causis
efficientibus, non incommode hoc loco
subjicitur alia quædam differentia quæ in
effectu cernitur.

[Quasi divina providentia constituta.] Hoc
est que ab incorrupta ratione, à simplicis illa
notitia mentibus nostris divinitus impressa per-
manent. Jus quod nobiscum natum est non
ab hominibus excogitatum, cujus Deus est
inventor disceptator lator, ut loquitur M.
Tullius lib. 3. de republ. Apud Xenophontem
lib. 4. memorab. hujusmodi jura *divi vicius* (Dei
leges) dicuntur.

1. De jure igitur gentium primario id
est eo quod simpliciter naturale est hæc ac-
cipienda sunt, non de secundario quod usu
exigente inventum. Nam diligenter distinguen-

TIT. II.

da naturalia præcepta ab his que pro certo
potatu dumtaxat naturalia sunt: jura multis po-
tatis seorsum communia, ab his que societa-
tis humane vinculum continent. Sic vetera
gentium jura circa bella & res bello captæ,
circa incrementa fluminum, &c. multa mu-
tata hodie videmus. Sed & multa que jus
naturæ non jubet sed permittit tantum, com-
muni consensu prohiberi possunt, ut factum
circa omnia fere *ἀνεπίστα* (nullius) de quo
suo loco disseremus uberius. Sane etiam jus
gentium secundarium *ἀναδύσας* (impropiis) im-
mutabile dici potest, utique multo difficilius
tollitur quam jus civile.

2. Immutabilia] Jus naturale semper &
ubique justum est & fuit, nec aliud hic aliud
Romæ aliud Athenis, aliud nunc est aliud
posthac erit. Nam ut recta ratio instat à natu-
ra & diffusa in omnes constans est & sem-
piterna, ita & quod ea præscribit semper
atque ex se justum est atque immortalæ. Quam-
obrem nec quod hoc jure prohibetur juberi
potest, nec quod jubetur vetari, ut recte
Grot. 1. mand. 2. & convenienter et quod
scribit Jurisconsult. in l. 6. de just. & Jur.
jus civile in totum à jure natura recedere non
debet. Nec est contrarium quod Jurisconsult.
addit jus civile non per omnia jura naturali
servire, sed plerumque ei addere aliquid aut
detrabere. Nam illa additio aut detractio ni-
hil aliud est quam generalium jura naturæ
præceptorum ad usum moresque civium & for-
mam reipublicæ specialis cum defectu accommo-
datio. Quod quamvis variis in locis diversim-
mode fiat, atque etiam in applicando naturæ
jura inflecti quodammodo videantur; immu-
tabile tamen permanet *τὸ ἀνεδίκατον* quod
per se atque ex sui natura justum est, vim-
que suam perpetuam retinent in obligandis con-
scientiis anticipatæ in animis nostris commu-
nes ille quas diximus notiones, in quibus
hæc constantia atque immutabilitas præcipue
elucet. Covarr. de matr. p. 2. c. 6. §. 9. n. 7.
Belle Michael. Ephes. ad 5. Ethic. Albert.
Bologn. c. 16. de lege jure & equit. §. 16.
Exemplis res fiet illustrior, lex naturæ ita
præscribit: Deum colite, liberi potestate pa-
tris subiecti sumo, pacta conventa servate. Hæc
sunt æternæ legis perpetua decreta, & que
nullo jure civili abrogari possunt: tantum in
modo applicandi, de quo lex naturæ nihil
definit, varietas aliqua apparet propter varie-
tatem constitutionum civilium; ut scilicet hoc
vel illo iure externo adhibito Deus colatur ut
patribus in liberos vel eadem que domi-
nis

DE JURE NATURALI GENT. ET CIVILI.

nis in servos potestas sit, & quodcumque
per filium acquiratur sit acquiratur patri, vel
ut jus tantum pater habeat filium modice &
sine acerbitate castigandi, & contumacem ex-
pellendi domo; ut pacta etiam nulla effica-
cent obligent; aut eam vim tantum habeant
vestita ut vulgo loquuntur. At Justinianus
nihil tam convenientis esse æquitati naturali
quam voluntatem domini rem suam in alium
transferre volentis ratam haberi, §. per tradi-
tionem 40. inf. de rer. divo. At lex civilis oc-
currens remerariis hominum liberalitati cu-
jus eos mox poenitere posset, modum huic rei
in donatione præscripsit, eamque donationem
que quingentos solidos excederet non aliter
ratam esse voluit quam si actus sit insinuata,
§. 2. inf. de donat. Hoc inquam factum non
mutatur jus naturale sed adjuvatur, dum
propter utilitatem civium (quo legislatores
omnes spectant tametsi non idem semper
constituunt) aliquid ei adjuvat, aut si ma-
jus detrahitur respectu scilicet præcepti ge-
neralis. Atque hoc est quod DD. nostri
ajunt jus naturale modificari declarari &
provisionibus adjuvari posse: sic enim loqui
amant Jo. Fab. Aug. & alii ad hunc §. Sex-
centa a jusdem generis exempla afferri possent
(occurrunt enim in omnibus fere partibus ju-
ris civilis) sed hæc pauca è multis retulisse
puto rei declarandæ sufficere. Illud etiam
sciendum est esse quosdam quasi gradus prin-
cipiorum practicoorum & præceptorum naturæ,
ac nonnumquam usuvenire ut inter se hæc
concurrant & invicem obstant, verbi causa:
lex naturalis est non occidere; est & altera
ejusdem generis sed momentosior que sui de-
fendendi causa permittit aggressorem occidere.
In hoc concursu lex inferior superiori cedat
necesse est, Wesemb. par. de just. & Jur.
n. 15.

3. Tacito consensu] Quamobrem non tantum
jus novum longo usu introduci potest, sed
etiam id quod ante lege aliqua constitutum
erat contrario sensu abrogari. Atque hoc om-
nino consequens est rationi Juliani qui in l.
de quibus 32. de legib. nihil interesse scribit,
suffragio populus voluntatem suam declarat
an rebus ipsis & factis. Ex eodem loco etiam
hoc colligitur quod supra diximus, cessante
jure suffragii non tantum cessare jus populi
in lege palam ferenda, verum etiam in con-
suetudine contra jus à Superiori constitutum
introducenda: quoniam ejus solius est legem
tollere cuius est condere. Ita capite l. 2. C.
que sit long. cons. aut de consuetudine alicujus

GENT. ET CIVILI.

municipii, fac. l. 3. §. Divus 5. ff. de repulcr.
voti.

4. Alia lege lata] Expediatur leges muta-
re, aut quando expediatur politice disquisi-
tionis est, cujus tamen questionis decisionem
suggerit Ulp. in l. 2. de const. Princ. In rebus,
inquit, novis constitutis evidens esse utilitas
debet ut recedatur ab eo jure quod diu æquum
visum est. Eaque consentiens est politico-
rum omnium sententia. Plato lib. 7. de legib. Arist.
2. pol. 6. in fine. Bodin. 4. de rep. 3. Lips. 4.
pol. 9. Connan. 1. comm. 9.

TEXTUS.

De objectis juris.

12. Omne autem jus quo utimur vel ad
personas pertinet vel ad res vel ad actiones.
Et prius de personis videamus: nam parum est
jura nasci si persone quarum causa constitu-
tum est ignorentur.

COMMENTARIUS.

Hoc §. transitus fit à jure constituto vel ad
jura constitutum, & methodica quædam
via pro materis diversitate circa quam illud
versatur ad hujus cognitionem stentur, præ-
sentate Cajo in l. 1. de stat. hom.

Vel ad personas &c.] Distributio ex obje-
ctis, ut apparet, ad hunc jus obtinendum
accommodata. Finis juris quod jam sæpe dixi-
mus est sum cuique tribuere. Ut autem
hunc finem consequantur necesse est primum
scire quid sit suum jusque; deinde qua ratio-
ne sit id ulero non præstetur ab invito
obtinemus. Cognitio ejus quod jusque est,
vel ex persona sumitur vel ex rebus, seu ex
jure quod quisque vel conditione & statu
personæ suæ habet, vel ratione rerum exter-
narum. Conditione personæ multum inter se
homines differunt, alii enim liberi sunt alii
servi; liberorum alii ingenui alii libertini,
alii patres familias alii filii familias; pa-
trum familias alii in tutela alii in curatore
alii in neuro orium. Ac pro diversis hujus-
modi qualitatibus diverso quoque jure in civi-
tate censentur; quod quia statum ac conditio-
nem personæ sequitur jus personarum appel-
laetur, deque eo deinceps hoc primo libro dis-
parabitur. In rebus externis quod jusque
est id aut est jus reale, nempe dominium
aliunde in rem aliquam jus, aut personale
dumtaxat, uno nomine obligatio sive credi-
tum.

tum. Nimirum ergo huc pertinent non tantum modi acquirendi domini aut juris alicujus in rem dominio proximi, modi acquirendi res singulas aut per universitatem, sed etiam modi contrahendarum & acquirendarum obligationum, & contra etiam horum omnium admittendorum aut infirmatorum ac distrahen-

dorum rationes; agiturque de hoc jure lib. 2. §. 3. & parte 4. usque ad tit. de actionib. Obtinendi utriusque juris ratio est in actionibus hoc est juris nostri persecutionibus, sive id fiat in judicio sive extra judicium auctoritate magistratus; quod argumentum ultimo tractatur loco.

TITULUS III.
DE JURE PERSONARUM.

Tit. 5. Lib. 1. Dig. Tit. 21. Part. 4.

Continuatio. Qui hic persona quid status & jus personæ.

IN calce præcedentis tit. proposita fuit series & dispositio summarum partium que demps hoc libro & sequentibus singularem tractantur. Initium fit à personis, quarum causa cetera constituta sunt. In 7. (Pandecti) titulus ejusdem plane argumenti inscribitur de status hominum. Unde intelligimus personam hic non qualitatem civis sed hominis designare, aut potius hominem simpliciter; eamque appellationem tam servo competere quam homini libero, sicut & in jure passim etiam servo tribuitur, l. 3. pr. ne quis eum qui in jure voc. l. potestatis 215. de verb. signif. l. 2. de reg. jur. Item jus personæ hic esse quod statum & conditionem personæ sequitur: nam status ipse est personæ conditio aut qualitas, que efficit ut hoc vel illo jure utatur, ut esse liberum esse servum, esse ingenium esse libertinum, esse alieni esse sui juris. Itaque status rationem cause, & jus effecti habet. VINN. Jure veteri discrimen erat inter hominem & personam. Homo dicitur cuiusque contingit in corpore humano mens humana; & sic sola monstra negantur esse homines, l. 14. ff. de stat. hom. ast persona est homo statu quodam veluti indutus. Status vel naturalis est vel civilis. Quoad naturalem servus persona dicebatur (uti in legibus ab auctore allegatis & princ. h. t.) non quoad civilem. Quia enim nec libertatis nec civitatis nec familie particeps erat servus, hinc res mancipii, Ulp. fragm. tit. 29. §. 1. impertinentis (imperionalis, ut ita dicamus) Harmenop. lib. 7. tit. 6. immo nullus, l. 32. ff. de R. J. sine capite §. 4. Instit. de cap. dem. denique mortuus l. 209. ff. de R. J. habebatur. Hæin.

TEXTUS.

Prima divisio personarum.

Summa itaque divisio de jure personarum hæc est, quod omnes homines aut liberi sunt aut servi.

L. 1. Tit. 4. Part. 4.

COMMENTARIUS.

- 1 Adscriptitii cujus conditionis habendi & num. 3.
- 2 Servi diverso respectu ad primum & secundum juris obiectum pertinent.

Summa] Id est prima & principalis, vel etiam generalissima, nam reliquæ sunt secundariæ aut speciales. De agricolis & adscriptitiis quæri solet quibus comparandi? Et quod in re non dissimili responderet Ulp. l. 10. hoc tit. etiam hic responderi potest, ejus conditionis æstimandos esse quæ in eis prævalet. Non enim una agricolarum colonis additorum conditio fuit. Quidam eorum censiti erant quidam non censiti, hi coloni illi fere adscriptitii dicebantur. Adscriptitii quasi servi erant peculium eorum ad dominum pertinebat, coloni liberi ut coloni Palestini Thracenses Illyricani, de quibus proprii tit. lib. 11. C. Adscriptitii tributarii erant id est capitis censum sive capitationem præstabant, coloni non erant tributarii reditus tamen certos pro solo domino terre solvebant. Consule Cujac. ad tit. C. de agric. & cens. Gregor. Tholos. 14. synt. 10. & omnino Christin. vol. 5. desc. 86. §. 424.

Ser-

TEXTUS.

Definitio libertatis.

1. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas ejus quod cuique facere liber, nisi quid vi aut jure prohibetur.

L. 1. Tit. 22. Part. 4.

COMMENTARIUS.

EX qua etiam liberi] Non ex vocabulo sed ex re ipsa que vocabulo designatur. Effectum à causa, concretum ab abstracto. Auctor hujus definitionis est Florent. in l. 4. hoc tit.

Cuique facere liber] Differentia ab effectu sumta. Effectus libertatis est facere quod libet; est enim potestas vivendi ut velis, teste Cicerone in Paradoxi §. 1. off. c. 21. n. 3. A Zenone apud Laërt. breviter definitur εὐνομία ἀποπραγίας potestas pro arbitrio suo agendi. Ceterum quia hæc potestas partim vi impediti potest partim legibus circumscripta est, additur exceptio nisi quid vi aut jure &c. qua exceptio significat duobus rebus quominus faciamus quod libet non impediri vi & jure, neque tamen eo minus liberos esse. Finge igitur nos usum rerum nostrarum vi prohiberi, finge vinciri: facultatem faciendi hæc impeditur libertatem non imminuit. Quod inter magna Christianæ Religionis beneficia referendum; cum apud gentes Asiæ & Lybiæ adhuc permaneat. Marius autem majorem Hispaniarum partem occupantibus frequentissima apud majores nostros servitus erat, ut mirum non sit legibus de servis nostras Compilationes scaterie; que leges licet non adeo frequentem habeant usum, non tamen exoleverunt ut falso sibi persuasit Auctor Institutionum Juris Castellæ. Illud Barbarorum moribus inductum fuerat per totam ferme Europam ut essent homines servilis conditionis adscriptis & censitis non admodum absimiles, solariegos à majoribus nostris appellati, l. 3. tit. 25. Part. 4. In Hispania omnino exoleverunt.

De servitute precaria lege regia caurum non licere servis domino valedicere nisi dies conventus fuerit transactus, l. 8. tit. 4. lib. 4. fer. legg. ADDIT.

Tom. I.

E

quamvis cogreacat et in gymrum rationis actiones cohibeat ne licentius evagentur, ut bene D. Wesemb. hic, & D. Tulden. c. 2. VINN. Est & hæc definitio vere Stoica. Vid. Pers. sat. 5. v. 88. & qua ibi notavit Casaubonus. Arrian. Diss. Epictet. lib. 12. c. 1. Ita vero explicata, non est cur à quibusdam Accur-

sium